Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 483
Quelle:
Copyright:

prelatorum conformari debet vite angelice, quae incipiunt: *Reuertamur ad angelicam similitudinem ut sicut illi* &c. et in Editis a me non sunt reperta. Post *Extractionem de mystica Theologia* praemissa *Job. Saraceni* ad *Odonem S. Dionysii* Abbatem Epistola Versioni ejus *Divinorum Nominum* in Edit. *Argent. fol.* 179. praefixa *Incipit explanatio* horum Nominum *secundum dompnum abbatem vercellensem.* Ejus initium est: *Domine deus noster quam admirabile est* &c. Prolixa haec Explanatio singulas Textus περικοπας sequens iterum in Editionibus deest. Non minus etiam, quae sequitur, Ejus *Explanatio super misticam Theologiam* praemisso denuo ex Edit. *Argent. fol.* 262. *Saraceni Prologo* ad *Odonem*, quorum hic uterque nominatur. Explanationis initium: *Trinitas supersubstantialis &c. Duplici modo ad cognitionem dei perueniemus* &c. Illam excipiunt vulgatae *Dionysii Epistolae* excepta illa ad *Apollophanem*, quam subplent spuriae illae *Ignatii Antioch.* una ad Matrem Domini cum responso, et duae ad *Johannem* Apost. Exin nova et inedita *Thomae Vercellensis in Angelicam Hierarchiam* orditur *Explanatio*, cujus Prooemium infit: *Job 39. c. Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter* &c. et iterum *Saraceni* interpretis *Prologum ad Job. Sarisberiensem*, ut Edit. *cit. Colon.* p. 758. post se habet. Idem dic de *Explanatione Hierarchiae ecclesiasticae*, quae sequitur, Prooemio ita auspicante: *Job 38. Nunquid nosti ordinem celi* &c. et adjecto *Saraceni* Praefamine, quod est Edit. *Colon.* p. 776. Jam hic perorantem *Thomam* audiamus: *Ecce miserante deo et illuminante sicut ante annos quinque proposuimus et in prohemio extractionis nostre premisimus, 4. libros Magni Dyonisij Ariopagite scilicet Angelicam ierarchiam, Diuina nomina, Misticam theologyam et Ecclesiasticam ierarchiam dupliciter declarauimus. Primo quidem extractione compendiosa, que propter littere difficultatem sensum ipsum littere stilo communi breuiter exprimit, postea uero glossis, que librorum sententiam diligenter pertractant. Quas qui legerit et se per eas aliquo studij labore excusari perpendit, oret pro anima excusantis. Quicunque autem dicta in eis minus prudenter correxerit, aut dictos libros clarius illustrauerit, a deo precibus beati Dyonisij beatam mercedem recipiat. Ego siquidem non solum in his cacuminibus sed etiam in scripturarum planitie semper magis optaui discere quam docere. Actum yporcie in exilio meo Anno gratie. M°. CC°. XLIIII. 3°. kld. Marcij.* Plura hic docemur: *Possevinum*, *Oudinum*, *Pezium*, *Ughellium*, *Fabricium* nihil suspicatos esse de *duplici* Labore *Thomae* in *Dionysium*, solam *Extractionem* novisse; in Codice nostro haberi *Explanationem*, sive, ut ipse vocat, *Glossas* omnibus ignotas; *Pezium* et *Ughellium* male interpretatos annum mortis ejus e versu Epitaphii: *Bis ter viginti currebant mille ducenti* per 1226.